



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCLXXXI. ad annum MCCCXIV.

Parisiis, 1644

II. De eodem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15974

432 INNOCENTIVS P. IV. CONCILIVM FRIDERICVS II. IMP.
S. LUDOVICVS R. FRANC.

fratrum nostrorum consilio, sicut viderimus expedire.

Datum Lugduni decimo sexto Kalendas Augusti, anno
tertio.

INSTITUTIONES FACTÆ
IN CONCILIO GENERALI
apud Lugdunum.

TITVL CI CAPITVLO RVM.

- | | |
|--|---|
| I. De rescriptis. | X. De confessis. |
| II. De eodem. | XI. De appellationibus & recusationibus. |
| III. De electione & electi potestate. | XII. De sententia excommunicationis. |
| IV. De officio & potestate iudicis delegati. | XIII. De usuris. |
| V. De iudicis. | XIV. De subisdio imperii Constantinopolitanici. |
| VI. De litis contestatione. | XV. Admonitio prelatorum adipulam sibi commissum. |
| VII. De dolo & contumacia. | XVI. De Tartaris. |
| VIII. De rescriptis. | XVII. Super Crucifera. |
| IX. De eo qui mittitur in possessionem causa rei seruanda. | |

C A P I T V L A.

I.

CVM in multis iuris articulis infinitas reprobetur, * proinde duximus statuendum, vt per illam generalem clausulam, Quidam alii, quæ frequenter in nostris literis inseruntur, ultra tres vel quatuor in iudicium non trahantur; quorum nomina in primo citatorio exprimat imperator, ne fraudi locus forsitan relinquatur, si circa ea possit libere variare.

II.

Præsenti decreto duximus statuendum, ne a sede apostolica vel delegatis ipsius causæ aliquibus committantur, nisi personis quæ vel dignitate sint præditæ, vel in ecclesiis cathedralibus, seu aliis col-

ANNO
CHRISTI
1447
collegiatis honorabilibus constitutæ , nec alibi
quam in ciuitatibus, vel locis magnis & insignibus,
vbi haberi valeat iuris copia peritorum, causæ hu-
iusmodi agitentur. Iudicibus vero, qui contra hoc
statutum ad alia loca alterutram partium citaue-
rint vel vtramque , non pareatur impune ; nisi ci-
tatio de communi vtriusque partis præcesserit vo-
luntate.

III.

In electionibus & postulationibus, ac scrutiniis,
ex quibus ius oritur eligendi vota conditionalia ,
alternatiua & incerta penitus reprobamus ; sta-
tuentes vt , huiusmodi votis pro non adiectis habi-
tis , ex puris consensibus celebretur eleætio , voce
illorum qui non pure consenserint ea vice in alios
recidente.

IV.

Statuimus vt conseruatores , quos plerumque
concedimus , a manifestis iniuriis & violentiis de-
fendere possint quos eis committimus defenden-
dos , nec ad alia quæ iudiciale indaginem exi-
gunt suam valeant extendere potestatem.

V.

Iuris esse ambiguum non videtur, iudicem de-
legatum (qui a sede apostolica ad hoc mandatum
non receperit speciale) iubere non posse alter-
utram partium coram se personaliter in iudicio
comparere ; nisi causa fuerit criminalis , vel nisi
pro veritate dicenda , vel iuramento calumniæ fa-
ciendo, iuris necessitas partes coram eo personali-
ter exegerit præsentari.

Concil. Tom. 28.

Iii